

36
35

OMINA ET VOTA,

QVIBVS,

CALENDIS IPSIS IANVARII,
ANNI POST CHRISTVM NATVM
M DCC XXIII,

VIRIS

PERILLVSTRBVS,
REVERENDISSIMIS,
GENEROSSISSIMIS,

ATQVE

EXCELLENTISSIMIS,

INCLVTIDVCATVS MAGDEBURGICI

ORDINIBVS

LONGE GRAVISSIMIS

AVSPICATVM ET FAVSTISSIMVM

IN

NOVVM ANNVM INGRESSVM

DEVOTA MENTE GRATVLANTVR,

MENSARVM MAGDEBURGICARVM

PROVINCIALIVM

ALVMNI.

HALAE MAGDEBURGICAE,

(Imu.) Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.





Russia, quæ mittis certantia succina gem-
mis,
Vteris atque tui fido tutamine REGIS;
Marchiacæ terræ, quas diligit ipse MO-
NARCHA

Supremi cæli; cumulat quas munere pacis;
Partheniopyrgi tellus, adamata IEHOVAE,
Et REGIS nostri clementis nobile agalma;
Halenses Musæ, quæ Pindi culmina nostri
Incolitis, nec non diuinas Palladis artes,
Quéis regitur mundus, per mundum, qua patet ille,
Spargitis; ad superos famam defigitis axes;
Quin omnes, queiscunque salus est publica cordi,
Vnanimes sitis præsto, & bona dicite verba:
Dicite gratantes, gratantes dicite cantus;
OMINA fausta simul io! pandite carmine grato,
Et pia VOTA DEO depromite mente parata:
Annua nam nati redierunt tempora CHRISTI;
Mensibus exactis completur circulus anni,
Solemnisque dies, rutilis signanda pyropis,
Aduenit, & suadet Iani celebrare Calendas.
Dicite gratantes, gratantes dicite cantus,
OMINA fausta simul io! pandite carmine grato,
Et pia VOTA DEO depromite mente parata:
Nam sine fine nouis BRENNORVM viicitat
ordo;
REX noster viuit, (viuat feliciter ILLE!)
Qui virtute valet, nec non pietate Sionis
Moenia firmato tanquam fundamine seruat;
TVTANVS noster diuino NVMINE fortis
Flore nouo floret, (vigeat, vireatque per ævum!)
Iustitia CVIVS virtutum præmia florent,
Ac depelluntur vitiorum foeda venena;
Dilectæ patriæ viuit PATER almus, & HEROS,
Qui semper vigilat nostræ pro flore salutis,



Quo pax, atque fides, & publica commoda regni
Omnibus in terris maneant, perstentque perenne.
Dicite gratantes, gratantes dicite cantus;
OMINA fausta simul io! pandite carmine grato,
Et pia VOTA DEO depromite mente parata:
Vicitat, & floret REGIS castissima CONIVX,
Filia celsa IOVIS, qui iusto iure Britannos
REX regit, & nomen transfert per climata mundi,
HAEC pietate nitet; precibus facit IPSA benignum
Et Numen nobis, & REGIS peccata mulcet,
Innumerisque DEAS tantum virtutibus altis
Exsuperat, quantum Veneris pellucida stella
Excellit reliquas, aut quantum candida Phoebe
Sidera deuinct pleno splendore coruscans;
ILLA, inquam viuit, (viuat feliciter ILLA,
Et cum REGE SUO cunctos REGINA per annos
Floreat, & vigeat!) Viuit quoque regia PROLES;
Nec celsæ STIRPI desit generosa propages,
In freta dum fluuii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt conuexa, polus dum sidera pascet!
Dicite gratantes, gratantes dicite cantus;
OMINA fausta simul io! pandite carmine grato,
Et pia VOTA DEO depromite mente parata:
Non modo REX viuit; viuit REGINA sacrata;
Chara DEI SOBOLES, Prussorum gloria REGIS
Flore viget viuens in gaudia mille PARENTVM;
Hinc & venturo gaudebunt omnia sæculo:
Ait etiam viuunt cœlesti munere sani
DVCATVS huius PROCERES, firmissima fulcra
Nostræ telluris, quibus instant commoda REGIS
Atque salus populi, ceu celum sustinet Atlas,
ILLVSTRES DOMINI, nati de sanguine claro,
Antiquum generis quorum conduplicat alta
Ex coelis virtus iubar, & cita fama patentes
Per partes orbis transportat ad ultima terræ,

Et simul æternis infert, & collocat astris;
ILLI, inquam, viuunt felices REGE benigno,
Et quibus augusto iussu commissa potestas,
Ac regimen patriæ, nec non bona cura SIONIS;
Sunt, quibus assiduus labor est ornare Camenæ,
Et Sophiæ teatam nostram seruare palæstram.
Dicite gratantes, gratantes dicite cantus,
OMINA fausta simul io! pandite carmine grato,
Et pia VOTIA DEO depromite mente parata:
Namque VIRIS tantis saluis sunt omnia salua,
Et magis augescent res, & bona commoda regni;
Gaudia, prosperitas nos cingent; Paxque salusque
Nos exornabunt tanquam diademate pulcro,
Flore bono iustum floret; Lis, visque, dolusque
Deseret afflitas per tot iam saecula terras.
OMINA nec fallent, quæ carmine pandere grato
Haec tenus audemus: PROCERES super æthera clari,
Dum magno socias geritis cum PRINCIPE curas,
Non dubitare decet, Summus modo RECTOR, o-
lympi,
Consiliis VESTRIS adsit, pariterque gubernet
Conatus omnes! VOBIS modo sape recurrit
Candidior, meliorque dies sacrata calendis
Bifrontis Iani; quotiesque illuxerit ortu
Illa nouo, pariat VOBIS noua gaudia cordis,
Atque augmenta ferat, stabilem vitæque vigorem;
Sint procul ærumnæ, corpus quæ sanguine priuant;
Omnia funto procul mentem tristantia fata!
Sic nos vnanimes NVMEN cælestè precamur;
Sic REGIS terræ, sic commoda cuncta virebunt
Partheniopyrgi; sic Pindi culmina nostri
Undique florebunt; sic stemmata VESTRA per annos;
Illustres PROCERES, cunctos, laudesque manebunt;
Sic nos pro VOBIS pia fundere vota IEHOVÆ
Pergemus, nostros dum spiritus hos reget artus.

2°

Gb 956,



Walter Becker
Buchbinderei
Halle, Thüringer Str. 24

Vora

38
39

OMINA ET VOTA,

QVIBVS,
DIS IPSIS IANVARII,
CHRISTVM NATVM
OCC XXIII,

VIRIS
LVSTRBVS,
ENDISSIMIS,
ROSISSIMIS,

ATQVE
LENTISSLIMIS,
VCATVS MAGDEBURGICI

DINIBVS

ONGE GRAVISSIMIS
TVM ET FAUSTISSIMVM

IN
ANNVM INGRESSVM

MENTE GRATVLANTVR,

MAGDEBURGICARVM
PROVINCIALIVM

ALVMNI.

AE MAGDEBURGICAE,
IANI HENCKELII, Acad. Typogr.

Farbkarte #13

